



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

22. Julii. Quantò quis oculatior est in scrutandis aliorum defectibus, tantò est in suis agnoscendis negligentior. S. Ignat. apud Bart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Plures occidit gula, quàm gladius. Venus innumeris venenum propinat, dulce quidem, fatale tamen; mulcet illa corpus & corrumpit; vires attenuat, morbos accelerat, vitam abbreviat.

Corpus nostrum res est magni Dei, & fidei nostræ commissum, quo nec pro arbitratu nostro uti, nec illud periculo exponere sinè crimine possumus. Veniet Dominus rationem exacturus de illo.

Domine ! ut jumentum factus sum ante te. Domini obsequio servari debeo; quod asino, hoc corpori debetur obsequium; pascatur, ut oneri par maneat ferendo.

22. Julii.

Quantò quis oculatior est in scrutandis aliorum defectibus, tantò est in suis agnoscendis negligentior. S. Ignat. apud Bart.

Quid juvat omnes noscere, si tibi vi-
vas ignotus? alios desideras nævi
omnis expertes, tuos negligis! hoc est
scrutari festucam in vicino, & trabem in
tuo oculo non sentire.

Scarabæorum (sordidum genus) natu-
ram alunt, qui aliorum rejectamenta scruta-
tan-

tantur, & toti vivunt in carpendis aliorum moribus.

Nemo est ità vitiis deditus, qui non plurima habeat, multâ laude digna ; cur prior es ad ejus defectus præ virtutibus videndos , nisi , quia oculus tuus nequam est.

Qui optimus est , optimè de aliis sentit, nec ullus ad rodendos alienos errores prior , quàm, qui domi, & in sinu suo, plurimos nutrit; à se quisque ad alios ducit argumentum.

23. Julii.

Multos fama, & virtutis commendatio à viro gravi profecta plùs, quàm virtus ipsa, ad sui amorem invitat. S. Ignat. apud Bart.

Honestæ indolis est famæ cura ; prima, etiam præ vita , magnæ mentis est sollicitudo , ut nullo eam dedecore vitiatam transmittat ad ætates posteras.

Vita bona necessaria est nobis , pro nobis, fama bona pro aliis. Sinè qua parum efficiet, etiam si in sublimi sit gradu sanctitatis. Famâ plùs, quàm armis, geruntur & bella, & negotia.